Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31632
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

et in indignatione tua conturbati sumus.
Posuisti iniquitates nostras contra te.
neglegentias nostras in luce vultus
tui. Omnes enim dies nostri transierunt in
furore tuo. consumpsimus annos nostros
quasi sermonem loquens. Dies an-
norum nostrorum in ipsis septuaginta
anni. si autem multum octoginta
anni. et quod amplius est labor et do-
lor: quoniam transivimus cito et avolavimus.
Quis novit fortitudinem irae tuae
et secundum timorem tuum indignationem
tuam? Ut numerentur dies nostri. sic
ostende: et veniemus corde sapienti.
Revertere domine usque quo. et exorabi-
lis esto super servos tuos. Imple
nos matutina misericordia tua. et lauda-
bimus et laetabimur in cunctis diebus
nostris. Laetifica nos pro diebus quibus
adflixisti nos et annis in quibus
vidimus mala. Appareat apud
servos tuos opus tuum. et gloria tua
super filios eorum. Et sit decor domini
dei nostri super nos. et opus manuum
nostrarum fac stabile super nos. et opus
manuum nostrarum confirma. XC.

Qui habitat in abscondi-
to excelsi. in umbraculo
domini commorabitur. Di-
cens domino spes mea. et fortitudo
mea. deus meus confidam in eo. Quia
ipse liberabit te de laqueo ve-
nantium. de morte insidiarum. In
scapulis suis obumbrabit tibi. et sub
alis eius sperabis. scutum et protectio
veritas eius. Non timebis a timo-
re nocturno. a sagitta volante
per diem. A peste in tenebris ambu-
lante: a morsu demonis meri-
diani. Cadent a latere tuo mil-
le: et decem milia a dextris tuis.
ad te autem non adpropinquabit. Verum-
tamen oculis tuis videbis. et ultionem
impiorum cernes. Tu enim domine spes
mea. excelsum posuisti habitaculum
tuum. Non accedet ad te malum. et
lepra non adpropinquabit tabernaculo
tuo. Quia angelis suis manda-
vit de te. ut custodiant te in omnibus
viis tuis. In manibus portabunt
te. ne forte offendat ad lapidem
pes tuus. Super aspidem et basiliscum
calcabis. conculcabis leonem
et draconem. Quoniam mihi adhesit et
liberabo eum. exaltabo eum quoniam cog-
novit nomen meum. Invocabit
me et exaudiam eum. cum ipso ero
in tribulatione: eruam eum et glorifi-
cabo eum. Longitudine dierum in-
plebo eum. et ostendam illi salutare
meum. Psalmus cantici in
die sabbati. XCI.

Bonum est confiteri
domino. et psallere nomini